

diurno necessario pertransit, retunditur, & corrigitur, præcipue cum contraria qualitate id facere possit... Et Ouid. 7. Metamorph. describens pestem ægineæ molestant sic exorditur: Strage canum primo, &c. non est autem verum, quod semper ita succedat, sed ut plurimum, nam in peste anni 1475. ut narrat Cardan. in lib. Hipp. de Anim. lib. 23. tex. 25. canes non solum non moriebantur, sed neque eo morbo correptebantur, cum tamen equi maxime corriperentur, licet non morentur.

Græcos ab Apolline Chrysis Sacerdotis precibus immisissam Æliad. dicebat: Mulo quidem primos inuesti, & canes veloces. Et fortasse illum imitati debinc alii sunt, ut Lucr. lib. 6. de rer. Nat. in descript. pestis Atheniensis dicens: — Cum primis suda canum vis Strata vis animam ponebat in omnibus ægiam.

SVM MARI VM.

- 1 Signa futura pestis ex Cælo. 2 Signa ex Aere. 3 Signa ex anni constitutione. 4 Signa ex iis que circa terram contingunt. 5 Signa præsentis pestis. 6 Contagio ut plurimum pesti adiuncta. 7 Pestes plures simul esse possunt. 8 Signa communia in omni peste. 9 Pestis causæ. 10 Aer corruptus propria, & immediata causa pestis.

De signis futuræ, aut præsentis Pestis.

QVÆSTIO III.

P Onenda jam hic sunt signa nonnulla, ex quibus facile in cognitionem veniamus quando vigeat pestis, & quia nonnulla quoque pestem præcedere solent, idcirco hæc signa duplitter didivimus, in ea nimirum, quæ prælagire solent futuram pestem, & in ea, quæ jam præsentem ostendunt. Vtraque autem à nostris auctoribus exquisitissime percurrantur, & vide si libet eos, quos in huius tituli processu jam citavi attulerunt etiam nonnulla Iureconsulti, ut Ripa, & Prævid. loc. cit. ego quia in hac parte brevis esse cupio, ex omnibus potiora, & majoris momenti seligam, & hic adscribam. hæc igitur partim sumuntur ab iis, quæ in cælo, & aere sunt, partim ab iis, quæ hic in ima terra apparent. In cælo Astrologi considerant magnos Solis, & Lunæ defectus, conjunctiones infortunarum, malignarumque stellarum, aliosque earundem maleficos aspectus, hos enim semper pestem præcedere docent. in aere signa quæ notantur sunt cometarum genus omne, lampades ardentis, lanceæ, capræ saltantes, & aliæ 2 ignæ impressiones, quæ non nisi ex tempestate maxime intemperata, ac æstuosissima originem ducunt. Minatur quoque futuram pestem aer nebulosus, & pulverulentus, ac crassus, imbribus assiduis humectus, & Austrino vento indefinenter perlatus, quæ omnia adnotantur ab Ovid. loc. sup. cit. his carminibus.

Principio cælum spissa caligine Terras Pressit, & ignavos conclusit nubibus æstus; Dumque quater plenis explorati cornibus orbem Luna, quater plenum tenuat avetere orbem, Lethiferis calidi spirantibus aëstibus Austris.

Ex anni quoque tempestatibus pestis futura cognoscitur, nam si ad frigidum siccumque tempus verum ætas calida & humidâ sublequatur, aut annus totus pluviolosus, & Austrinus extiterit, pestis expectari facile potest. ad hæc accedunt fulgura crebriora, & gravi odore insignia; quin inter plendum ranunculæ, & alia quædam insecta semiformata ab aere unâ cum rarioribus aquæ guttis descendunt, quæ manifestam ac consummatam ipsius aeris corruptionem demonstrant.

Circaterram autem & nos ipsos plura visuntur, quæ nos de futura peste admonere possunt, Terræ motus inprimis maxime si magnus sit, aut frequens, qualis hisce diebus in Apulia fuit, ex cujus violentia multa oppida diruta sunt, & S. Severi urbs omnino destructa, unde sub ruinis nonnulla hominum millia periire, accidit autem die 30. Mensis Iulii huius Anni 1627. De quo Terræ motu discursus edidit Io. Ant. Foglia Medicus Neapolitanus. Terræ item halitus, & vapores crassi, ac graviter olètes id ipsum præmonstrant, sicuti etiam Insectorum multitudo,

p. 3. part. 17. num. 4. cum ergo pestis omnium animalium genus, & hominum indifferenter prosterit, tunc gravissima, atrocissima, & notabilissima est. Dicitur præterea minus aut magis gravis pestis ratione indifferentiæ temporum, in quibus vigeat; minus enim gravis absque dubio, quæ aliquando remittit, ut facere plerumque solet per Hyemem, & Ver, quam quæ nunquam cedit, vigeat enim ut plurimum in Autumno, ut experientia constat, & notatum est à Med. Raf. de pest. Rorar. contrad. 2. in Avic. Septal. de pest. lib. 2. c. mlt. & ex Iurecons. Carrar. de Med. p. 3. n. 57. Insuper pestis eo gravior certe est, quo plures occidit: cum enim atrocissima est nulli parcat, sed tanquam fera inexorabilis obvia quæque animalia depalcitur, & iure à Rip. de pest. par. 1. part. 1. c. 9. & à Prævid. ubi alias part. 3. part. 13. num. 5. & à Foller. numero 92. & ex nostris à Langio Ep. lib. 6. Epist. 19. Peltis dicitur esse multo sævior ferro, hoc enim aliquibus parcat, & aliquando precibus, aut commota miseratione superatur, illa vero nequaquam: quod præcipue testantur pestes quædam atrocissimæ. decem millia hominum singulis diebus Romæ periisse Vespasiano imperante, refert ex Nicephoro Vntzer. in antid. pest. lib. 1. p. 1. dist. 2. nu. 1. qui addit ex Leonclavio Constantinopoli intra 4. menses 150 millia hominum absumpta. & quod etiam mirabilibus est, tempore Carol. IV. Imp. trium annorum spatium inter quamplurima, & infinita propemodum hominum millia, centum viginti quatuor millia, & quatercentum viginti quatuor Franciscanos periisse; cuius rei fides apud auctorem esto. hæc ex Vntzero, alia autem exempla data opera prætermittam, sed præ omnibus gravissima ea pestis censenda est, quæ cum omnibus antedictis conditionibus brevissimo quoque temporis spatium occidit, omnem locum remediis quibuscunque adimens, neque permitit ulla via, aut modo ægros subveniri; licet enim ut plurimum vera pestis septimam attingat, non tamen excedat. Ioub. de pest. c. 8. aliquando tamen quatruido, ut ii morbi, de quibus Card. in 3. lib. prognosi. progn. 1. aliquando triduo, interdum biduo, alias etiam cum perniciosissima est, eo ipso die quo apprehendit, occidit, nam nonnulli intra viginti, aut etiam intra decem, immo & intra octo, & sex horarum spatium in domesticis negotiis succumbunt. Alex. Bened. de febr. pest. c. 1. Ioub. ubi proxime Forest. lib. 6. obs. 9. ipsi Medici aliquando inter invensendum ægrotos in opere ipso vitam relinquunt. — Inque ipsi se vamedentes Erumpit clades, obsuntque auctoribus artes. ut Ovid. ubi alias, & Virgil. 3. Georg. Quæstæque nocent artes: cessere magistris, Phyllyrides Chiron, Amythæonisque Melampus. Recenset ex aliorum tamen testimonio Cardanus 5. Aphorism. pestem aliquando grassatam, in qua cum brevi momento sæpius homines sternerent, statim concidebant animam exhalantes. refertur quoque à Valeriol. lib. 3. locorum commun. c. 18. quod in peste, quæ anno 1534 in Galliz Narbonensis parte vigeat, homines loquentes ac sedentes, tanquam fulmine icti, statim peribant. ergo quanto plures harum conditionum simul concurrent, tanto magis perniciosa & notabilis pestis dicenda, quæ idcirco præ aliis privilegiis sibi à jure concessis uti permittatur.

præcipue eorum, quæ ex magis putri materia ortum ducunt, ut Ranæ, & buffones; horum enim animalium multitudo nou solum auget pestem, & perse potest etiam caulare pestem, ut ex Iureconsultis notat Ripa de pest. 1. par. partio. 1. num. 15. sed pestem portendit, ut notant Medici, eandem quoque portendunt carnes, & morticina quæque facillime putrescentia, & alia his non dissimilia. Variolæ porro, & morbilli frequentiores non sine pravitatis indicio, frequentes item prægnantium abortus, & morbi quicumque facillime pravam naturam induentes, pestem præcedere solent: sed & bellum, & fames longa si præcesserint, & superiora appareant, pestem proculdubio portendunt, cum aliis, quæ exquisitissime percurrunt Medici, & vide peculiariter Forestum, Septalium, Amicum, & præcitas omnes.

Sed cum jam præsens pestis est, manifestissimis signis se prodit. ipsa primum ratione animalia carentia cavernas suas, & latibula relinquunt, aëris noxam illis in locis reclusi evitantia; Canes, & Lupi in rabiem aguntur, ipsa terræ affixa germina marcescunt, panis, carnes, ova aeri exposita citissime putrescunt; vestium, & tegumentorum genus omne humectum præter morem apparet, situmque contrahit, domestica animalia præ cæteris, sed & reliqua prosteruntur, & in summa omnia languor ac terror habet, quem hominibus majorem facit contagionis suspicio, quæ in quacunque peste ut plurimum saltem locum habet; tunc enim ubi unus in una domo ægotaverit, mox omnes in eadem domo similiter & vicinia ægotant, & commoriuntur.

Sed supra enarrata signa declarant aerem id vitium contraxisse, & computruisse, ipsamque pestem jam irrepsisse; alia tamen sunt præter hæc, quæ individuus ipsis communicatam esse infectionem denotant. quamquam vero non omnes pestes eisdem morbos, & accidentia secum afferunt, ita ut ob id maxime inter se sint diversæ, immo in una eademque tempestate plures simul pestes vagari possunt, more & natura differentes. Vales. in veritum Epid. lib. 3. par. 3. tamen id omnes pestes commune habent, ut ea correpti illico faciei colorem in pallidum aut lividum immutent, spontanea gravique lassitudine detineantur, timore ac terrore corripiantur, & plerumque syncope molesteatur ob aeris nempe in corpus irrepentis venenositatem, sudoribus tenuibus, frigidis, ac diaphoreticis perfundantur, fetorem anhelitus expirent, sanguinis stillas è naribus emittant, carbunculis, anthracibus, bubonibus, in inguinibus, & sub alis, aut parotidibus tumoribus scilicet in aurium radicibus pestis præsentiam attestentur, quæ tamen omnes eruptiones, veluti etiam exanthemata omnia, & peticulæ colore liventes, aut nigre interdum post apparitionem intro remeant. Vomitus etiam comparere solent putridorum humorum, graviterque olentium, & in summa aut omnia, aut plura signa, & potiora eorum apparere solent, quæ summam ac conclamatam humorum corruptionem attestantur.

Reliquum autem erat, ut de causis pestis aliquid assereremus, quæ plures esse possunt, multisque modis à Medicis considerantur. ego quia de peste absolute tractatum instituire non debeat, sed de iis tantum mentionem habere, quæ ad ipsos Iureconsultos pertinere possunt, cum de ea in ordine ad Legale argumentum verba faciam, breviter dicam, causam pestis, ut omnes, qui de ea verba faciunt, plenissime docuerunt, duplicem esse, supernaturalem unam, naturalem alteram, supernaturalem ipsum Deum esse non ambigendum, qui mortalium facinora vindici dextra hac ratione in hac vita ultiscitur. hanc causam etiam ipsi Philosophi admittunt. Plutarch. de serm. num. vind. & vide alios cit. seq. lib. tit. 1. quæst. 10. admittunt & omnes Medici, & ejus quoque mentionem habent Iureconsulti, Ripa in sape cit. tract. de pest. par. 1. num. 8. Prævidell. ibid. par. 1. partio. 7. num. 7.

Naturalis autem causa est aer putrefactus, qui quidem magis conjuncta, & proxima causa est pestis proprie dictæ, nam alias causas adductas, ut pravam victus rationem, halitus pravos, cloacarum penuriam, immunditium, & alias his non dissimiles nunquam excitare pestem veram manifestum ex superioribus est primo, & per se, nam aliqua possunt aerem corumpendo etiam pestem veram excitare, sed erunt tunc remotiores causæ. sed qui huiusmodi causarum censum perlegere cupit, nostros auctores adeat, præcipue jam citatos, & præ cæteris And. Gall. in fasc. de pest. fascic. 3. Septalium, Amicum, Portum, & alios omnes, & inter Iureconf. Rip. p. 1. à num. 10. ad seq. & Prævid. p. ult. partio. 15. nu. 1.

SUMMARIUM.

- 1 Pestilenti tempore non proprie tantum salus unusquisque satagere debet, sed etiam aliene.
- 2 Pestis ut plurimum habet adjuvntum contagium.
- 3 In cura pestis à Deo inchoandum.
- 4 Cura præservativa à peste, in quo consistat.
- 5 Aer præcipua pestis causa.
- 6 In peste longe fugiendum, ac tarde redeundum.
- 7 Loci, & habitationis delectus.
- 8 Ignis in peste mira vis.
- 9 Ciborum delectus.
- 10 Cibis pravis utentes peste facillime corripuntur.
- 11 Pestis tempore consert plurimum comedere.
- 12 Pauci bibuli pestis tempore periclitantur.
- 13 Somni consideratio in peste.
- 14 Corpus in peste incrementis liberum sit oportet.
- 15 Cotius maxime noxius tempore pestis.
- 16 Exerctium quale conveniat tempore pestis.
- 17 In pestilenti tempore respiratio necessitatem quamvis minus fieri possit, habere oportet.
- 18 Animi passionnes quomodo regende tempore pestis.
- 19 Mediculosi præ omnibus pestem incurrunti.
- 20 Mæsticæ vis in peste.
- 21 Ad Magistratus qua ægere pertinet.
- 22 Mortuorum cadavera citissime sepelienda.
- 23 Cloaca libera esse debent.
- 24 Peste infecti ab aliis segregandi.
- 25 Peste infecti an possit per vim expelli ex civitate, si malis in domo includi.
- 26 Advena ex suspecto loco accedentes ad urbem arceandi.
- 27 Quot diebus debeat sumi experientia in Advenis, an sani sint, nec ne.
- 28 Medici quales eligendi tempore pestis.
- 29 Supellectilia eorum, qui ex peste obveniunt, venalia exponenda non sunt.
- 30 Balneis tempore pestis interdiciendum.
- 31 Parci admonitio circa vespillones, & impios quosdam homines pestis tempore.
- 32 Putridæ carnes, & pisces corrupti non vendendi.
- 33 Qui ægris aliquo modo ministrant per aliquam notam ab aliis fecernendi.
- 34 Lemnis consilium tempore pestis.

De cura præservativa à Peste.

QUÆSTIO IV.

IN pestilenti tempore non modo propriæ sanitatis unusquisque satagere debet, sed etiam aliene, quanto plures enim morbo corripuntur, tanto evidenter imminet unicuique propriæ vitæ periculum.

Quia cum pestis secundum plurimum, ut sæpe jam dictum est, adjuvntum secum habeat contagium, facili negotio ab uno individuo in aliud pertranfit, nam facile est vicino aut concive insecto, alium vicinum & concivem infici. ea igitur de re unusquisque per semetipsum, sed Magistratus præcipue, & qui iustitiam populis ministrant, in hoc totis nervis ac viribus incumbere debent, ut contagium omni modo arceatur, vel saltem prohibeatur, ne ulterius serpat, & ut facilius hi noscant, quibus tunc interdicere concivibus, & habitatoribus, subditisque conveniat, quæ facere, quæ ommittere necesse sit, hæc que sequuntur in mentem sibi redigant, quorum etiam plurima animadvertat quisque propriæ salutis zelo tenetur, & ea, quæ ad se pertinent, inviolabiliter observeat. Neque miretur quisquam, quod in hoc titulo hanc partem, quæ primo intuitu omnino medica videtur, non prætermiserim, quia in hac ipsa parte multa sunt, quæ scitu, & executione necessaria sunt ipsi Iurisconsultis, unde etiam ii, qui inter eos de peste tractarunt, eam intactam minime reliquerunt, ut Ripa, & Prævidellus, & post hos Forlierus. Ergo antea doceamus, quæ ad unumquemque hominem peculiariter scire pertinent, mox quæ ad Magistratus, publicæque nonnullas personas spectant, detegamus.

Ante omnia à Deo inchoandum, quem supplicationibus, ac sacrificiis pura mente oblati placandum esse certum est, id enim summum tanto malo censerem remedium, cum ab eo, nec abque eo unquam pestis mortales adoriatur. ita faciendum suadet Medici omnes præcitati, necnon etiam Iureconsulti. Rip. par. ult. partio. ult. Prævidell. par. 4. partio. 3. num. 1. & 2. hæc enim agentes, quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus, & revertatur à furore iræ suæ, & non peribimus, ut Iona habetur cap. 3. vers. 9.

Sciendum post hæc, quod universa cura præservativa à peste, consistit in recto, & convenienti usu sex rerum non naturalium, inter quas præcipuum locum obtinet, maxime tempore pestilenti ipsæ aër, qui nos ambit, hic enim, ut toties inculcavi, tunc præcipua causa morbi est, quæ si removeatur, facillime & ipse morbus removetur, & mors evitatur. à peste igitur unusquisque se immunem servabit, si ab aëre pestilenti longe aufugiat, tritum enim est, quod iactatur, cito, ac longe fuge, & tarde redi, ut omnes Medici concludunt, Bened. de pestil. febr. cap. 6. Paschal. lib. 2. pract. cap. 9. Andr. Gal. de pest. fasc. 5. Ioub. de pest. cap. 10. Forest. lib. 6. obs. 15. & ex Iureconsultis Ripa ubi sæpe par. penult. num. 53. sed quibusnam fugere liceat, quibus vero non, declarat Vntzer lib. 1. Antidot. pestil. distinct. 3. med. 2. si ergo hoc fieri non possit, locus eligendus est in civitate elatior, à ventis maxime perflatus, ad Orientem, aut Septentrionem vergens, dummodo venti ab ea parte non spirant, in qua pestilentia viget.

Locus hic neque mortuorum cæmeteria, neque

sentinas, neque cloacas, neque sterquilina, neque stagnantes aquas, aut paludes, neque hortos, neque arborum nonnullarum multitudinem, ut præcipue Ficus sunt, & Noces, & Taxus, & Savina, veluti Raf. 30. contrin. tract. 3. cap. 1. admonet, non modo prope se non habeat, sed neque adeo parum distantes, ut facile retri vapores, & caligines ab iis exhalantes habitationem inficere possint; notant horum plurima Alex. Bened. & cæteri Med. supra cit. quibus addit Georg. Pictor. de conserv. valet. dial. 2. nonnullas herbas, nempe Elleborum, Erucam, & Brassicam, quarum herbarum, & arborum umbram cæteris herbis adeo noxiam dicit, ut comestæ à bestiis noxiæ etiam ipsæ evadant. Noxia etiam mirum in modum ea loca sunt, quæ aquas vicinas habent, in quibus Linum, Canabis, Spartum, & huiusmodi res macerari solent, teste eodem Alex. Bened. & experientia ipsa. Vbi autem tales locos seligere non concedatur, aër ipse propriæ domus variis ingeniis alterandus, & emendandus.

Focus imprimis assiduus, & perenni luceat igne, cuius tanta vis in peste, ut Hipp. quemadmodum notissimum est, hoc uno remedio pestem aliquando Athenis abegerit, & Acron eodem auxilio Agrigentum ab eadem calamitate liberaverit. in ignem si fieri possit, odora menta nonnulla injiciantur juxta temporis qualitatem. Fenestræ versus Meridiem, aut eam partem versus, in qua pestis maxime viget, perpetuo occlusæ sint, & portæ etiam, & aperture omnes obstruantur, per quas Austro, aut alius quivis noxius ventorum flatus subire possit. Estate floribus odoriferis, aquis item odoriferis destillatis, & acetosolaceo pavimenta irrorentur, dummodo flores corruptionem generare non valeant cum putrefiant. ab ea quoque parte, in qua vicini peste infecti jacent, aër quantum fieri potest abdicandus; quin etiam consilio doctorum hominum nec canes, nec feles, aliæ domestica animalia, ex vicinis ædibus in proprias commeare, neque propria in vicinas permittenda: hæc enim innoxie aliquando pestem circumferunt. si quando autem extra domum exire contingat, hora diei seligatur matutina post Solis ortum, cum jam ipsius splendore omnia illustrata sunt, calor nimius, aut frigus superfluum, aer caliginosus, venti, nubes omnino evitentur. conventus, & hominum frequentia ac coetus fugiantur, nec indifferenter, aut temere unusquisque, in domum, aut colloquium admittatur. Non minor debet esse ciborum delectus, qui optimi nutrimenti sint oportet, & concoctu faciles, ac cane pejus & angue ii evitentur, qui facile corrumuntur, seu qui pravi succi sunt, vel difficilis concoctionis existunt; qui enim hinc cibus utuntur omnium Medicorum sententia facilius peste corripuntur, nec id ipsum siluerunt ipsi Iureconsulti. Ripa ubi alias par. 1. num. 16. & par. 3. num. 9. Prævidell. ibid. par. ult. partio. 15. num. 1. Consert tamen tunc temporis plurimum comedere, non ita tamen, ut cruditates generentur; longum enim jejuniium, aut præter morem toleratum summo opere obesse notum est, contra vero adnotatum est ab experitissimis Medicis, ventri & gulæ indulgentes minus cæteris peste tentari. Plater. Cent. pest. quæst. Med. Parod. num. 43. Forest. lib. 6. obs. 9. quinetiam ipsi jam peste ægotantes cogendi sunt ad plurimum cibum assumendum ex Gal. consilio in 3. de morb. vulg. par. 5. rex. 81. nam evadere dicebat promptius eos, qui strenue ac viriliter in assumendis cibus se gerunt, libimetipsis vim inferentes, quod etiam ex eo

reperit Raf. 30. *contin. tract. 13. cap. 1.* Qualitates autem ciborum in particulari enarrare hic non est necessarium, sed qui id exquisitius notum habere desiderat, consulat supracitatos doctores de ea re accuratissime pertractantes. illud unum hic mentione dignum est, quod ex Mizald. *Vntzer. lib. 1. Antid. pestil. par. 2. dist. 3. med. quint. num. 2.* & ille ex Antonio Ludovico refert, Lampretas nimirum tempore pestis frequenter comestis innata vi contra tam diuam luem maxime efficaces haberi.

Potus sit vinum, si usus fert, ætate pauciferum, odoris jucundi, mediocris potentiæ, ac humiliter suave, & quoad quantitatem potus, proculdubio non debet esse superflua. non multum ergo bibendum, licet Savonar. *de febr. cap. 9. rubr. 1.* notasse se dicat in tribus, aut quatuor pestilentis, quod pauci bibuli perirent.

12 Notandum autem ex Vntzero *ubi supra*, Aquam vitæ tempore pestilentis omnino noxiam esse, neque absque ratione, cum Hepar & sanguinem incendat, & humores acuat, & exurat. immo laudat, ut publico Magistratum decreto ejus usus abdicetur. quod si aqua bibenda sit, ea sit purissima, levissima, tenuissima, nullo odore, aut sapore dotata, fontana, aut cisternalis, quarum utramque, dummodo cæteris conditionibus non destituatur, bonam existimo, licet sciam inter Medicos de principatu bonitatis esse contentionem. Plerique Hipp. sequi se putant, si playalem præferant. alii fontanam malunt, cujus opinionis fuit Andr. Thurin. Pisciæ. Reg. Galliarum, & mox duorum summorum Pontificum Medicus, quilibet etiam de ea re conscripsit, & E-piph. Ferd. lib. 1. *Theor. 13.* sed, ut dixi, ex mea sententia utraque in usum convocari potest.

13 In somno quoque eadem moderatio servanda, & diurnum maxime evitandum, sed & superflua vigilia officere censetur non immerito, quod corpus aptius facile reddat ad concipiendum morbum; quod ut magis magisque evitetur, quotidie ipsum ab excrementis congestis liberare studendum, quod si sponte id non succedat, leviori aliquo leniente, aut potius ipsis cibariis alvum mollientibus id procuretur; fortia enim, & frequentius usurpata medicamenta abdicanda.

15 Coitus ab universis Medicis mirum in modum vituperatur, quod etiam à Iureconsultis particulariter animadvertitur. *Ripa par. ult. partic. 1. num. 9.* & *Prævidell. par. ult. partic. 15. num. 4.* ab eo ergo non modo in parte, sed in totum abstinendum; unde non ex timore solum contagionis arcendæ sunt meretrices tempore pestis ex civitate, ut voluit Ripa *de pest. par. 3. partic. 1. num. 163.* sed etiam quia incitamentum sunt ad opera venerea, à quibus tunc temporis summum in modum, ut dixi, abstinendum. in cæte-

16 ris mediocritas laudatur, quemadmodum etiam in exercitio: nam si excedat maxime damnatur, tum quia sanguinem magnopere calefacit, & acuit, atque ad febrim disponit, tum quia poros rarefaciendo, & majorem respirandi necessitatem faciens, in causa est, ut multo plus circumambientis aeris in corpus subeat, quam oporteat, cum in pestilenti constitutione maxime conferat, quanto minus fieri potest, respiracionis necessitatem augere. Hippocr. *de Nat. Humana*, quod aer corruptus quanto minus inspiratur, tanto minus nocet.

15 In animi denique passionibus moderandis unusquisque diligens sit oportet, Metus præ omnibus, & tristitia abdicanda: notatum enim, & refertur à Pla-

tero, & à Foresto *locis supra citatis*, Meticulosos præ omnibus pestem facile incurere, quod etiam inter Iureconsultos innuere videtur *Ripa par. 1. num. 15.* omnino ergo prohibenda cogitatio de mortuis, & ægrotantibus. Hieron. *de Manfred.* *de Hom. lib. 1. capite ult. in fin.* neque de morte timendum, nisi in ordine ad animæ salutem. in Deo sperandum etiam si occideret nos, ut sanctissimus Iob dicebat *capite 13. versic. 15.* gaudendum cuique esse suadent Medici, & adnotat etiam ex Iureconsultis *Ripa par. 3. partic. 1. numero 153.* cum paucis, sed honestis amicis hilariter vivendum, Musicis, ac Melodiis vacare conducit, cum sola aliquando Musicæ vi pestis subblata fuerit, teste Plutarch. *in lib. de Music.* *in fin.* quod etiam Vair. *lib. 2. de fastin. capite 11.* ex Paulina adnotavit, ut ex iplo adnotat Vntzer. *in antid. pestil. libro 1. par. 2. distinct. 3. med. 5. num. 6.* & cum his omnibus mundus cultus corporis eligendus, ac vestes læpius immutanda.

Verumtamen ad ea jam veniamus, quæ ad Magistratus pertinent, hi curare debent maxime, ut Civitas ab immunditiis undequaque libera existat, & aeris corruptione præserte luculentis ignes vitæ accendi jubeant ex lignis, si fieri possit, odoriferis, ut cypressis, & Juniperis, sin minus ex vitium samentis, aut ex lignis quernis, quæ putrida jam, & emortua non sunt, aut situm contraxerint, vel prope paludes, stagnantesque aquas diu jacuerint, aut pluvia, vel quoquo modo humidat sint.

Mortuorum cadavera quam citissime sepulebris mandari, & alte defodi curent, quia citissime putrefcunt. *Paræus lib. 21. capite 10.* & præcipue à cadaveribus brutorum, si quæ peste tentantur, omnino civitatem repurgare; quamquam vii pestis bruta etiam molester, conferret ex mea sententia ea omnino à civitate amovere, & expellere antequam insanciantur. unde *Paræus ubi supra* occidi omnia jubet præcipue feles & canes, & alia domestica animalia, quibus præ cæteris connumerandi sunt porci, quia eorum excrementa ærem venenosum maxime reddunt, ut scribit Georgius Pict. *de conservanda sanit. dial. 2. cloacas liberas esse jubeant*, ac si ad repurgandam civitatem non sufficiant, novas construendas curent. Peste infectos ab aliis quantum fieri potest segregent, aut eos in propria domo, ut fieri alicubi solet, portis muro obductis, vel obsignatis, retinendos, aut in locum ad eam rem destinatum asportandos curantes. ita faciendum admonet ipsi Medici, & præ cæteris *Massa de febr. pestil. tract. 2. cap. 1. Paræus lib. 21. capite 10. Celsipin. lib. 3. cap. 52. Septal. lib. 4. de pest. cap. 6. Vntzerus in Antid. pestil. lib. 1. distinct. 2.* & ex Iureconsultis *Ripa par. ultim. partic. 1. num. 3.* utrum autem per vim expelli possit quis ex civitate, si malum domo includi, decidit idem Ripa *ibidem numero 4.*

Sed & maxima cura arcendi sunt advenæ omnes, qui à pestilenti loco veniunt, vel undecumque dummodo sanitatis testimonium secum non habeant, ne in civitatem intromittantur, antequam per aliquot dies experientia sumatur eorum sanitatis. *Celsipin. lib. 3. cap. 52. Septal. lib. 4. cap. 7.* & ex Jurisperitis *Prævidell. par. 4. partic. 21.* & *Foller. in appar. ad instrum. Urban. numer. 171.* quantum autem debet esse hoc dierum

spa.

spatium à Iureconsultis decisum non invenio. conveniendū est quadraginta dierum, de qua testatur *Septalium ubi supra.* & hunc ipsum terminum desiderat *Celsipinus ubi supra.* sed *Septalium* putat, atque contendit, esse iusto longiorem: palam enim est, inquit ille quod accedentes ad locum sanum vel habent intra se Pests contagium, vel extra; necpe quia per contactum externa membra semina pestis retineant. si habeant intus, impossibile est per tot dies venenum tam atrox & exitiale absque eo, quod ullam de se significationem præbeat, latitare; si extra, hoc facile potest emendari per corporis mutationem, & lotionem ex aceto, aliisque ad rem faciendis, per rasuram omnium pilorum, per vestium commutationem, & hujusmodi. restringit etiam hunc terminum *Massa ubi supra* ad plus minus pro infectionis majori, vel minori suspitione. Sed in his cum securitate, non cum conjecturis agendum.

28 Præterea Medicos, Christiana pietate & sapientia insignes, in ægrotorum curam destinant, quemadmodum etiam expertissimos Chirurgos, non quales ut plurimum nunc eam artem exercent, audacia & temeritate, ne non etiam crassa ignorantia notandos, & qui vix tonstrinam exercere norunt.

29 Supellectilia, & tegumenta, vestesque eorum, qui peste perierint, venales exponi non permittant, sed omnia igni mandanda præcipiant, quæ vomitem, & semina morbi conservare facile possunt, ut lineæ sunt & laneæ vestes, & his similia, quod admodum non reliquerunt Medici supra citati, *Paræus, Septalium, Celsipinus, Vntzerus*, & alii, ne non etiam Iureconsulti *Ripa loco citato numero 43.* sed mirum videtur quod narrat *Alpin. lib. 1. de Medic. Egypt. cap. 17.* nimirum quod tegumenta & supellectilia eorum, qui peste ibi laboraverint, etiam si alias contagium retineant, tamen mense Junio omne contagium exuere, & illis tuto uti quemlibet posse. Quæritur autem hic posset, cur vestes eorum, qui peste corripuntur, & ab ea immunes evadunt, non afficiantur tangentes contagio, ut vestes, aliaque tegumenta eorum, qui peste moriuntur. Sed ad hoc alias.

Quæ vero mercies admitti tuto possint, quæ non docet exquisitissime *Massa ubi supra. tract. 2. c. 1.* docetque nullum Frumentum genus, nec aromatum, neque fructuum, neque carni quorumcumque dummodo putrescere non incipiant, neque Vina, neque acetum, neque oleum suspitionem ullam habere, quia talia contagium non suscipiunt. præ omnibus autem tutissima sunt metalla omnia. sed si quæ saccula, aut tegumenta, vel funes, & hujusmodi alia cum his juncta fuerint, omnia comburenda præcipit, nam quæcumque ex lino, canabe, sparto, cotone, lana, bombace, pilis, vellere, serico, plumis, & hujusmodi rebus consiciuntur, facile infectionem suscipiunt. quibus addenda quæ ex arundinulis, juncis, & hujus generis materia componuntur. de his inter Iureconsultos *Follerius*, quibus non multa fides est adhibenda, cum loquatur de his, quæ ad ipsum non pertinent.

Quoad receptionem Epistolarum, multis uti debere nos cautelis, admonet *Salvian. Variar. lect. lib. 1. c. 7.* quod charta facillime infectionem suscipiat, &

retineat. itaque & circa hoc peculiaris diligentia adhibenda, ut suffitibus, antequam legendas literas suscipiamus, eas repurgemus, & liquoribus etiam nonnullis imbuamus, aliisque cautelis utamur ab ipso *Salviano* conscriptis.

Balneis porro, si quæ publica extant, interdiceret Magistrate oportet, cum qui iis utuntur Pestem facillime concipiant, ut adnotat *Rafis 30. contin. tract. 13. cap. 1. Ioub. de pest. cap. 9. Andr. Gall. de pest. fascic. 3. in principio. Plater. quest. Medic. Parad. centur. post. quest. 43. Paræus de peste cap. 10.* & alii, quare iis unusquisque pro posse abtineat.

Cæterum idem Paræus in his recensendis diligentissimus, admonebat quoque Judices & Magistratus, ut maximo opere animum adverterent ad impios quosdam vespillonos, & alios hujus farinae homines, qui, ut ex majori ægrotantium ac morientium copia plura congerant, libique acquirant, per linimenta quædam, ostiorum annulis & pestibus aliisque locis illa, pestis contagium in sanos transferunt, aut alia malicia utentes, mortuorum supellectilem in sanas domos comportant, milleque aliis ingenitiis inexpiable impietate pestem propagant. quod non semel tantum aut bis, sed multo times evenisse constat, ut superiori quaestione dixi.

Curent etiam iidem Magistrate, ne putridæ carnes, & olidi ac semiputrefacti Pisces veniant, sed eas, eosque quamprimum putrescere inceperint abiciendos curent, ne ex eorum comestione vulgus pravis humoribus congestis facile pestem concipiat, quod prudenter præter Medicos admonet *ex Legumperitis Ripa ubi alias*, quia contingit cum ægrotantibus utentes innoxie aliquando pestem circumferre, ut sunt Ministri omnes, Sacerdotes, Medici, Chirurgi, Barbitorum, Pharmacopolæ, Vespillonos, Obstetrices, & alia personæ, non permittendus quisquam eorum est in publicum exire, nisi aliqua conspicua nota se notumunicuque faciat, ut possint alii ejus evitare occursum, & allocutionem.

Custodes etiam portarum constituantur, qui advenas peste infectos, aut de peste suspectos, aut etiam qui bulletinum sanitatis secum non habent, à civitate & loco repellant & arceant. sed de custodibus portarum tempore pestis, & de bulletinorum qualitate, & aliis ad hæc pertinentibus qui plura scire cupit, ex Iureconsultis adeat *Ripam par. 3. partic. 2. per totam. Follerium ubi supra.*

Denique non inane consilium censendum, quod ex *Levino Lemnio* refert *Paræus ubi supra*, & laudatur ab *Vntzero ubi alias lib. 1. par. 2. dist. 3. num. 2.* nimirum quod murales cannae, & machinæ tormentariæ, pulvere bombardico repletæ, absque globis sub diei noctisque crepusculis explodantur: eorum enim idtu ac vehementia impulsus aer exagitur, & ea agitatione repurgatur, præterquam quod etiam ipsi bombardici pulveris qualitate alteratur & efficitur, adjuncta maxime ipsius ignis virtute, hæc & alia permulta ad Magistrate pertinent, quæ si quis luculentius enarrata desiderat, ex nostris consulat *Paræum, Vntzerum*, & præ omnibus *Septalium lib. 4.* & ex Iureconsultis *Ripam*, & *Prævidell.* & *Follerium locis citatis.*

## PARS SECUNDA

## De Contagio.

## SVMMARIVM.

- 1 Contagium quid.
- 2 Contagium triplex.
- 3 Morbus contagiosus quis.
- 4 Contagiosus morbus duplex.
- 5 Contagiosi morbi benignæ naturæ, seu contrarij.
- 6 Scabies quid.
- 7 Lepra quid.
- 8 Elephantiasis quid.
- 9 Alopecia est particularis quedam Lepra.
- 10 Achores quid.
- 11 Lippitudo quid.
- 12 Tabes est ulcus Pulmonis.
- 13 Febris Hæctica quid.
- 14 Lues venerea, sive Gallicus morbus quid.
- 15 Febris quid sit.

## Quid sit Contagium, quid, &amp; quotuplex contagiosus Morbus.

## QVÆSTIO V.

Quibus ex causis inter Legales materias etiam de contagio verba facere operæ pretium duxerim, in principio hujus tituli notum feci; dicam ergo jam quid sit Contagium, & quid, & quotuplex contagiosus morbus. Contagium aliis esse dixi infectionem transeuntem ab uno individuo in aliud. Mercatus autem lib. 3. de Morbis p. 1. cl. 1. g. 176. num. 11. dixit, Contagium esse id, quod alteri ab altero præstatur dum passim fiat ejusdem speciei cum agente. dixi etiam illud esse triplex, immediatum, quod ex simplici atque immediato contactu fit duorum corporum animatorum. Secundum per fomitem, & est mediata prima species, nempe inanimata cujusdam rei, & contagii semina retinentis, ut vestes sunt, suppellectilia, & hujusmodi. Tertium, quod est secunda species mediata, fit mediante Aëre inspirato, qui ab uno individuo expiratus, quod jam infectum est, ab alio inspiratur, unde ex inquinamento prioris per illum Aërem expiratum inquinatur posterius. Morbus autem qui contagiosus est, dicitur morbus per contagium communicabilis uno, vel pluribus ex supra commemoratis modis. Est autem contagiosus morbus duplex, nam quidam est benignæ naturæ, in quantum vitæ nequaquam infidiatur, saltem non manifeste, aut non tam subitanam affert perniciem, licet temporis diuturnitate non nisi cum vitæ præjudicio afficiat. alius est malignæ Naturæ, ut qui vitam facili negotio, ac manifeste, & evidenter eripiat. morbi prioris classis ex humorum putredine habent quidem originem, non tamen consummata, sed magnæ activitati juncta; posterioris etiam venenata qualitate participant. in priori censu sunt Scabies, & ejus species omnes, Strumæ de quibus vide Zacutum Medicum doctissimum lib. 1. de Med. princ. hist. cap. vel hist. 84. in comm. Tinea puerorum, Alopecia dicta, eorumdemque achores, & favi, lippitudo, vel Ophthalmia Græcis, ulcera quæ-

dam maligna, simplex febris, nam, ut testatur Fracast. lib. 2. de Contag. cap. 1. nonnullæ febres sunt contagiosæ, cum tamen sint ut plurimum salubres, in posteriori censu sunt Rabies, Morbilli, & Variolæ, & ipsa pestis, quamquam morbilli, & Variolæ interdum nulla pravitare infestæ videantur, aliâs tamen pestilentibus evadunt, & cum multiplicantur, ipsam pestem portantur, ut omnes, qui de peste scripserunt, fatentur in capp. de signis prognosticantibus futuram pestem. Sunt tamen alii morbi Medii jure vocandi, quod neque perniciem illico afferant, neque tamen vitæ omnino parcant, sed procraftinantes locum remedii concedunt. hujusmodi sunt Lepra, ejusque genera omnia, & Elephantiasis, si modo diversus morbus à Lepra est, Tabes, seu Phthisis, Hæctica febris, Epilepsia, nam notatum est, hanc quoque per contagium fuisse communicatam. Bertr. lib. 22. sive med. cap. 3. immo etiam per solum visum teste Christof. à Vega lib. 3. art. Med. cap. 12. quorum uterque refertur à Schenchio lib. 1. Obser. tit. de Epilepsia, sed quod magis mirandum est, communicari per contagium non solum hominibus, sed etiam animalibus extra humanam speciem, docet Card. lib. 7. de variet. cap. 33. qui ancillam morbum hunc cani & cato communicasse refert. tandem inter hos morbos comprehenditur etiam Gallicus, ut notum est.

Omnes hi morbi (exceptâ lippitudine ac Stramâ) enumerantur ab iis, qui de contagio ex professo verba fecerunt. Fernel. lib. 2. de Abd. rer. caus. cap. 11. Sal. de febr. pest. cap. 11. Fracast. de contag. lib. 1. Hucher. lib. 4. de febr. cap. 7. sed miror cur de lippitudine nullus meminerit, cum tamen Arist. 7. probl. 4. & Alex. lib. 2. probl. 14. querant, cur lippitudo sit contagiosa, quod etiam vulgo persuasum est, & notatur à Iureconsultis Martin. de Artes de superst. num. 36. quomodocunque tamen sit, non tanti momenti is morbus profecto est, ut de eo peculiarem mentionem habere oporteat.

Cæterum ne Iureconsulti nominum varietate decipiantur, brevier quid singuli horum morborum sint exponamus, si præsertim, qui minus noti esse possunt. Scabies autem præ omnibus notissimus morbus est, sed ejus genera quamplura sunt pro humorum differentia, & miscela. definitur vero scabies pruritus in universo corpore, vel in pluribus ejus partibus ex asperitate, vel pustulis, vel ulcusculis ejusdem proveniens. aliquando vero solus pruritus totum occupat corpus, non tamen pustulæ ullæ ad sensum sunt manifestæ, neque ulla ulcuscula, sed bene asperitas quædam, non mutat autem nomen, nisi quando prædicta apparent. quod autem quedam scabies humida sit, quedam sicca notum est, & quod illæ habeant sub se plures alias species; sed hæc pro nunc ad hoc argumentum minus pertinent. Strumæ, quæ & scrophæ, seu scrophulæ dicuntur, tumores sunt in collo & in axillis eventientes, ac se propagantes ex materia partim frigida & mucilaginosa, partim terrea ac melancholica, & dicuntur scrophæ, ex eo quod plures gignant conceptus, nempe minores tumores, quorum sunt secunditiæ, veluti scrophæ, quam vero hi tumores sint contagiosi, vide aut Doctorem Zacutum Lusitanum, multæ eruditionis ac indefessæ lectionis virum, cuius libri de Principum Medicorum historis, doctis omnibus mirum in modum accepti ac commendati sunt.

Lepa porro dicitur cutis asperitas cum pruritu, & cor-

& corporis colligatione depascens profundas corporis partes orbiculatim, atque piscium instar squammulas ex sese emittens. in hoc enim morbo solidarum partium nutrimentum ob pravam sui qualitatem assimilari non potest, unde ad cutim transfusum, & extraneum colorem concipiens, pruritus facit ingentem, & ob admixtionem sicæ, melancholicæ, ac terree substantiæ à cute abscedit, & in squammulas abit. non dissimilis morbus est Elephantiasis, quamquam non desunt contrariæ opinionis ad hærentes; sed esse hos unum eundemque morbum testatur Mercurial. lib. 2. de morb. cur. cap. 5. apud quem Lepre genera & species videre licet ab ipso accuratissime enumeratas, si quis autem Medicorum Lepre veræ signa perlegere cupit, præ cæteris præcis legat Baverium in consil. præcipue, quod incipit: *In nonnullis dicitur est, &c.* nam diligenter & exquiritè ea percurrit, & differentias omnes edocet. non prætereundum tamen hic signum illud confirmatæ Lepre exploratissimū, de quo Lemn. lib. 2. de ocul. nat. mir. c. 51. in fin. quod est hujusmodi: Vsti plumbi pulverem in matulam, urinam Leprosorum continentem, conjicit, si enim fundum petat, vel Lepra illa vera non est (vel non est, addo ego, confirmata) si vero supra natet, signum est manifestissimum veræ & confirmatæ lepre. plures insuper experientias ponunt alii, ad cognoscendum veram lepram, & præcipue Vallefcus in Pbilos. lib. 7. cap. 21. inter quas est, quæ ex sanguine desulmitur supernatante in aqua clarissima. alia autem signa videri possunt apud ipsum, & alios auctores Arabes præsertim, & præ cæteris Iulianum Palmarium, celebris & ea experientia est, quæ desumitur à sensu stupiditate, nam tenuissimam acum in corpus leprosi infigit, & si minus sentiat, lepra est confirmata. Vallefc, ubi supra. Paræus lib. 19. cap. 7.

- 9 Lepra quedam particularis videtur esse Alopecia; nam conveniunt in essentia, cum non minus Alopecia, quam lepra ex pravo nutrimento fiat, & non minus quam lepra universo corpori, cuti capitis Alopecia obstitit, & utraque fit corruptio, & alteratio carnis superficialis. Arist. teste 10. Probl. 20. & recte notatur inter Iureconsultos à Glo. in c. voluisse de paniten. dist. 1. quod lepra in Capillis dicatur Alopecia. licet autem velis eos morbos differre, tamen negari non potest, eos congenere esse, nam & Ophiatis, quæ maxime similes est Alopeciæ, præcedere solet lepram, & iis esse præcipue infecta, qui in Elephantiasim proni sunt. Pilo lib. 1. pract. c. 1. quin etiam uterque morbus eodem med. curatur. Cardan. in lib. Hipp. de Alim. lect. 32. tex. 31.
- 10 Achores sunt ulcera capitis humida, quæ appellantur vulgo latime, quod fortasse ex lactis vitio manare credantur, vel quod lactentibus pueris sint familiaria. Manard. lib. 17. epist. 2. huic morbo non dissimilis est, qui farus dicitur, de quibus tamen alia superaddere præsentis loci non est.
- 11 Lippitudo quid sit, dixi Lib. 2. Tit. 3. g. 10. quod sit inflammatio tunicæ oculorum adnatæ. Tabes vero, seu Phthisis ulcus pulmonis est, ex quo consumptiva febris Hæctica dicta generatur, vel ad quod potius ea febris consequitur, quæ febris Hæctica (nam & ipsa aliquando contagio communicatur) est calor naturalis mutatus in igneum, solidas ipsius cordis partes obsidens. Lues autem Venerea, Gallicus di-

ctus morbus, adeo pluribus notus est, ut alia explanatione non indigeat; dici tamen potest infectio, seu contaminatio massæ sanguinæ ex coitus præcipue inquinamenti, vel alio modo per contagium communicata, ex qua infectione plures apti sunt pullulare morbi, natura & specie differentes; & licet alii aliter hunc affectum definiunt malint, mihi pro nunc ad rem meam hæc definitio satisfacit.

Quid sit denique febris Iureconsulti in l. quæst. 15. tum. ff. de re judic. dixerunt, esse motum corporis contra Naturam. Medici dicunt esse calorem naturalem mutatum in igneum, vel esse calorem extraneum in corde accensum. Sed hæc de his satis.

## SVMMARIVM.

- 1 Contagiosi morbi non omnes ex quibusvis in quasvis personas transferuntur.
- 2 Ob contagiosum morbum. de novo advenientem dirimi potest matrimonium initiatum, non autem consummatum.
- 3 Ex quibusvis morbis leve periculum contagionis impendat.
- 4 Ex Epilepsia leve contagionis periculum imminet.
- 5 In tabe majus periculum junioris conjugis à seniore, quam è contraria.
- 6 Periculum infectionis proli nascitur à conjugibus quatenam sit.
- 7 Ex lue venerea quando existimandum dirimi jure posse matrimonium.
- 8 Ex Morbillis & Variolis etiam pestilentibus, ex ipsa peste, ex rabie, an dirimi debeat matrimonium.
- 9 Mortales habent justam causam relinquendi monasterium, ubi in eo vigeat contagiosa infirmitas. declarata ut num. seqq.
- 10 Contagioso morbo laborantes expelli possunt ex civitate. declarata ut ibid.
- 11 Quartus casus circa redditionem debiti matrimonialis ubi alter conjugum contagioso morbo laborat.
- 12 Sani conjunx tenentur reddere debitum Leproso. distinguitur ex aliis ut num. seq. die ut num. 21.
- 13 Sani conjunx an teneantur cohabitare cum leproso.
- 14 Non ita inficitur sanus conjunx à leproso per coitum, ut per cohabitationem. falsum ibid.
- 15 Lepra inficit etiam per balneum.
- 16 Quo per contagium ad distans inficiunt, multo magis per contactum id præstant.
- 17 Non infectus potest alios inficere, & quomodo.
- 18 Ex coitu cum leproso imminet evidens periculum infectionis.
- 19 Sani conjunx non tenentur reddere debitum infirmo, peste vel rabie laboranti.
- 20 Sani conjunx an teneantur reddere debitum infirmo, Tabes infecto.
- 21 Coitus Tabidis maxime noxius.
- 22 Sani conjunx an teneantur reddere debitum infirmo, Gallica lue laboranti.
- 23 Si unus conjugum commercium habeat cum extranea persona Gallico morbo infecta, an alter teneatur ad redditionem debiti.
- 24 Nonnulli cum infectis personis rem habentes non inficiuntur, & tamen alios inficiunt.
- 25 Ob adulterium an liceat denegare debitum.
- 26 Contagiosus morbus quando impedire debeat professionem.

Iureconsultorum assertiones nonnulla circa Contagium, & Contagiosos morbos quibus in casibus locum habeant.

QVÆSTIO VI.

**1** Statuendum imprimis antequam ad particulares scaturiam veniamus, contagiosos morbos non æque omnes ex quibusvis in qualvis personas contagio transferri: alios item facili negotio hac ratione contagio afficere, nonnullos vero facilius alia: nam de priori parte patet, quod neque Alopecia, neque Phthisis adeo ex teneriori ætate in maturiorem, ut ex maturiori in teneriorem transferri facile potest. de posteriori parte notum est, quod Lues Venerea coitu maxime, & accubitu, dehinc etiam convictu, & consuetudine communicatur, ut etiam Phthisis, seu Tabes, Scabies, & huiusmodi; Pestis autem sola expiratione, ut etiam Lepra, de qua & alias dixi, & infra dicam. Alii præterea morbi certas personas invadunt & contaminant, alii vero indifferenter omnes. nam Tabes, Phthisis, Alopecia tenerioribus maxime ætatis noxiæ, aliis personis maturiorem ætatem agentibus non ita; contra Pestis, Scabies, Lepra omnibus indifferenter communicantur. sic etiam & alia nonnulla in quæstionis processu adnotanda veniunt, ut dicemus: hic enim examinabimus casus nonnullos circa contagiosos morbos evenientes, ut apertissime dehinc pateat quando, & in quibus casibus conclusiones, & assertiones Iureconsultorum locum sint habituræ, quas rececimus in principio Tituli, quarum prima est, quod ob contagiosum morbum de novo, aut quomodocumque evenientem dirimi possit matrimonium initiatum, non tamen quod sit consummatum; circa quam conclusionem, licet aliquod dubium interveniat, minus de sponsalibus dubitatur, ut per Auctores ibi per me adductos. circa primam partem conclusionis (quia cum multo majoris momenti sit, & que in ipsa locum habeant, multo magis procedent in posteriori parte) considerari potest periculum contagii non modo respectu conjugum, sed respectu prolis ex matrimonio nascituræ. Secundo considerari potest eventus morbi, ipsiusque naturæ, nempe an pertinax morbus sit & rebellis, & ob id nulla spes sit ægrum ab eo convaliturum, an vero contrario modo se habeat, aut saltem mediocriter, ita ut licet cum difficultate, possit tamen Eger ab eo convalescere. Tertio considerari potest qualitas periculi, quod vel imminens sit, & de ipsius Conjugis sani vita, vel sit tantum de sanitatis detrimento, aut etiam de turpitudine. Morbi item aut sunt instantanei, aut permanentes, instantaneos voco pro nunc, qui brevi dierum spatio, ut quatuordecim, aut viginti, aut etiam unius, vel alterius mensis, aut anni hincuntur; permanentes voco, qui diu perdurant, aut toto vitæ curriculo, & ad mortem usque hominem concomitantur.

**3** Itaque periculum leve imminet ex morbo levi, ut ex Ophthalmia, ex simplici scabie, aut simplicissima febre, & morbis aliis his non dissimilibus. & licet in Ophthalmia, & in febre periculum non ita certum sit, ut in scabie, quæ multo magis contagiosa est, tamen neque in hac, neque in ulla illarum poterit esse locus dissolutioni matrimonii, aut sponsa-

lium, quæ juramento firmata sint, tanquam si nullum omnino adesset impedimentum. quod ob levitatem eorum morborum, qui nullius considerationis in hoc casu videntur, ulteriori probatione non eget.

Idem etiam in Epilepsia habebit locum; licet enim majus multo sit periculum in hoc morbo, quam in prædictis, tamen periculum ex hac non est certum & evidens, cum non soleat Epilepsia secundum plurimum per contagium de facili communicari. communicatur tamen filiis, & descendenti-bus; sed neque hanc puto esse justam causam separationis matrimonii, aut sponsalium, ob periculi incertitudinem: quia licet Epilepticus interdum Epilepticum generet, cum Epilepsia sit morbus hereditarius, tamen hoc est de futuris contingentibus, non de necessitate evenientibus. Contra tamen dicendum videtur in Tabes, in Lepra, in gravi Lue Venerea, in Alopecia; nam in tabe grave & evidens periculum vite imminet juniori conjugii a seniori, non tamen tam evidens seniori, ut dixi, idcirco in uno casu matrimonium, seu sponsalia dirimi poterunt, in alio non, quia morbus permanens est. id tamen intelligendum de jam confirmata Tabes, non de incipiente, quia hæc amoveri facilius potest; idem in Lepra confirmata dicendum, sed absolute, quia omnibus communicabilis, tam senioribus inquam, quam junioribus. præterquam quod habet cum se notabilem deformitatem, ut etiam habet Alopecia.

Sed quid de periculo, quod imminet proli ex matrimonio nascituræ, ne eodem morbo infecta nascatur, vel post inficiatur? dico quod si Lepra in parentibus curationem recipit, poterit prohiberi quin proles inficiatur; si confirmata sit, & curationem non recipiat, poterit & ob id, & ob supradictam causam conclusio Iureconsultorum locum habere.

In Lue Venerea, si gravis sit, nempe tumoribus, ulceribus malignis, doloribus perpetuis, Alopecia, gonorrhœa virulenta, & aliis symptomatibus concomitata, absque dubio matrimonium dirimi poterit, quia communicabilis ab omnibus in omnes, & quia notabilem affert turpitudinem, & quia morbus permanens est, & si sit confirmatus nunquam curabilis.

Ob morbillos, & variolas etiam pestilentis, ob Pestem ipsam, ob rabiem licet ex omnibus evidens periculum vitæ instet, præcipue autem ex peste, non poterit dirimi matrimonium, neque sponsalia si juramento firmata sint; ratio est, quia etiam si sint contagio à quovis in quovis communicabiles pestis dumtaxat, & Rabies, nec non vitæ summo opere insidentur, tamen morbi instantanei sunt, & qui facillime aut occidunt, aut hominem sanum deserunt; idcirco absque injuria, & sine ullo incommodo potest attendi eorum exitus, qui ubi in bonum terminet, matrimonium suum locum habere facile potest, cum nihil impedienti post eorum amotionem relinquatur.

Declaranda tamen hæc omnia supradicta sunt respectu, quoad separationem matrimonii non consummati, vel sponsalium, vel certe ejusdem matrimonii, quoad separationem thori.

Secundus casus circa contagiosos morbos eveniens est, quod Monialibus concedi possit licentia exeundi ex uno monasterio, & ingrediendi aliud monasterium, ubi in eo sit contagiosa infirmitas, ex qua

Quæstio VI.

De Peste, & Contagio.

qua ipse absque dubio sint in manifestissimo periculo positæ, nisi quæ jam infectæ sunt ejiciantur. ita deciditur in constitutione Pii Quinti, quam habes apud Navarr. de Regul. comm. 4. num. 47. & apud Roderic. quæst. Cavonic. & Regul. Tom. 1. q. 49. artic. 4. apud Barbol. de offic. & potest. Episc. alleg. 102. num. 14.

In hoc casu de duabus tantum infirmitatibus mentio habetur, de Lepra nimirum, & Epidemia, nempe peste; (abutuntur enim hic Iureconsulti, seu Canonistæ voce Epidemix) sed eam constitutionem extendi etiam ad alios morbos contagiosos, si qui sint, aut esse possint, ut Hæmicam febrem, Tabem, Rabiem, & alios, tenet idem Barbol. ibid. num. 16. & seqq. Neque videtur contrariari, imo potius assentiri Navarr. ubi supra num. 49. qui etiam prædictam constitutionem extendi vult ad morbum non contagiosum, de quo Medici docti ac pii judicent aliquam morituram, nisi ex monasterio exire permitatur, & salubriorem locum eligat. de qua ampliatione nonnulla dicam Deo dante Lib. 5. Tit. de acce. aquis, & locis. sed in hoc quoque casu adnotandum, quod in superiore admonimus, nempe de periculi certitudine & evidentiæ, & de gravitate & confirmatione, & conditione morborum: nam non satis esset simplex Epidemia ad hoc, ut Moniales possent relinquere Monasterium, sed debet esse pestilentialis & contagiosa, nempe cum periculo, & pernicie manifesta.

**12** Tertius casus est, in quo ii, qui contagioso morbo laborant, expelli possint ac debeant ex civitate; in quo casu nota, quod non satis est contagium quodcumque ad id, sed requiritur tale, ut afferat vitæ periculum, seu notabilem turpitudinem, in superque ut sola expiratione possint infecti nocere sanis, eoique inficere, veluti in peste evenit, & in Lepra.

Fortasse idem dicendum esset de Rabie, qua affecti aut expelli, aut vinculis coerceri debeant, ne alios moribus impetentes, rabiem illis communicent, & de Lepra certum est in hoc casu, quod debeat esse in ultima specie & confirmata, quia ceteræ species nequaquam possent halitu & expiratione de facili inficere, ut confirmata potest.

**13** Quartus casus est circa redditionem debiti matrimonialis, circa quam contrariantur sibi Canonistæ præcipue de Lepra loquentes, volentibus aliis, qui Textus auctoritatem sequuntur in cap. 1. & 2. de conjug. leproso, quod sanus conjux teneatur reddere debitum infirmo, non obstante, quod timor adsit non modo infectionis sani, sed etiam prolis inde nascituræ ea infectione labefactæ. Io. Brunell. de spons. & matrim. conclus. 8. num. 8. Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 24. num. 25. & vide alios DD. adductos per Augut. Barbol. in Collect. Doct. lib. 4. tit. 8. cap. 2. num. 2.

**15** Alii maluerunt in hoc casu distingui, nimirum quoad ubi iudicio Medicorum adsit periculum notabilis infectionis, sanus non teneatur reddere debitum, contra si id periculi absit. ita Hostien. in summ. lib. 4. rubr. de Conjug. Leproso. Sanchez ubi supra num. 17. qui ad contrarias sententias satisfacit. ita quoque videtur sentire Ripa in tract. de pest. par. 2. partic. 1. num. 102. quem adducit Sannazar. ejus nepos de Matrim. cap. 3. art. 5. num. 77. dum non vult, Conjugi Lepra leonina nempe Lepra maligna, & confirmata, & ultimæ speciei, vel Elephantiasii infecto sanum teneri reddere debitum. Circa cohabitatio-

nem etiam discordes videntur DD. cum alii voluerint teneri sanum cum ægrotante cohabitare, alii vero non, sed tantum teneri ad debiti redditionem. Alberic. in Dist. in verb. Lepra. qui & eam rationem ex DD. auctoritate affert, quod non ita inficiatur sanus ex coitu, ut ex cohabitatione; quod etiam tenet Scotus in 4. sent. dist. 32. q. unica. quod tamen non est verum, quia contagium nulla via, ac modo efficacius & facilius contrahitur, quam per carnalem conjunctionem; quod si Lepra inficit etiam per halitum, multo magis per cohabitationem, & multo etiam magis per copulam carnalem, & idcirco Lepra. cap. 13. ex legis præcepto Leprosi non modo ejiciebantur ex civitate, sed debebant etiam evitare sanorum occursum, quia expiratione maxime homines inficiuntur, ut notat Vallæ. in eo loco de sacra. Phil. cap. 19. ergo multo magis per contactum, quia quæ per contagium ad distans inficiunt, multo magis per contactum id faciunt. Fracast. lib. 1. de contag. cap. 2. Adde quod Medici non solum admonent esse fugiendum coitum cum Leproso, sed aliqui, ut Gordon. 1. par. Lili cap. 22. voluerunt etiam illius commercium devitandum esse, qui, aut quæ cum leproso jacerit, etiam si infectus inde non remanserit; quia etiam non infectus potest alios inficere conservando in se ipso, in propria cute & carne, semina ipsius contagii, ut etiam in morbo Gallico evenit, ut mox dicemus. Itaque si cohabitare non tenetur sanus conjux cum Leproso, multo minus tenetur reddere debitum. sed decisio harum rerum ad Canonistas pertinet; nos admonere eos de periculo decet, satis ergo sit, hinc eam conclusionem elicere, quod ubi alter conjugum vera lepra sit infectus, etiam si non esset confirmata, ex eorum conjunctione evidens periculum imminet sano ne inficiatur: nam licet levior esset Lepra, tamen infectionis periculum non cessaret, & timor ne sanus postmodum ea infectus, in multo pejorem conditionem laboretur, quam ipse leprosus ad præsens sit; parva enim infectio si corpus pravis humoribus offendet, magnam pariet affectionem, ut quotidie in Lue Venerea, & in Scabie experimur; nam habeat commercium aliquis cum muliere sola gonorrhœa infecta, inde aliquando in dolores atrocissimos, in ulcera maligna, in tumores, in depilationem, & in mille alios affectus incidet. sic etiam si jaceat quis cum aliquo, qui solo simplici pruritu, vel levissima scabie labore, si inde inficiatur, in scabiem pessimam, & ulceribus, & incendiis pruritu scatenentur, labetur, itaque etiam ex levi infectione timendum est, ne sanus maxime lædatur.

Cæterum quoad rabiem, morbillos, & variolas, & pestem, absolute dicendum videtur, quod non teneatur sanus reddere debitum, quia periculum certum est & evidens; & de Peste apertissime Iureconsulti. Ripa de pest. par. 2. partic. 1. num. 202. quamquam peste affectum conjugem, aut rabie detentum nunquam eo dementiae, (nisi vere dementiae) pervenire existimem, ut debitum à sano reposcat.

Circa Tabem dicerem, opus esse distinctione: nam si sanus conjux tenerior sit ætatis, & habeat etiam promptitudinem ad concipiendum talem morbum, ut si esset habitus gracilis, pectoris angusti, colli tenuis & longi, humeros habens alarum modo extensos, & alias haberet Tabis dispositiones, non teneatur reddere debitum, quia facili negotio, & absque dubio inficeretur; si vero

taliam non apparet, & iam grandior natu esset, nempe si supra 35 annum ætatem ageret ( usque ad hunc enim terminum tabidus fieri à 18 incipientes, voluit Hipp. 5. Aphor. 9. & ibi Gal.) tunc teneretur; quamquam æger conjunx concupiscentie pœnas lueret, cum coitus Tabidis maxime sit noxius.

Restat denique, ut decidatur, quid de morbo Gallico dicendum sit, de eo enim majus dubium esse posset: nam etiam si levis esset, quia tamen quilibet vel minimus fomes sufficit ad concipiendum magnum morbum, & potest ex levi contagio sanus conjunx maxime affici, ut dixi, idcirco videretur, quod, quotiescunque de morbo Gallico certitudo habetur, non teneatur sanus conjunx reddere debitum ægrotanti. dicendum tum ea ratione non obstante, quod ubi levis morbus est, sanus teneatur ad redditionem debiti, contra vero ubi imminet notabile infectionis periculum. Barbof. in coll. DD. lib. 26. tit. 8. cap. 2. num. 3. tit. 2. Circa id sciendum, quod infectio ex morbo Gallico aut non pertransit pudendas partes, & eis proximam, aut penitiora penetrat, & ad Hepar pervenit inficiens illud contagio, quod cum sit officina sanguinis, inficitur toto sanguinis massa, & sic morbus universo corpori communicatur. in priori ergo casu apparente ulcuscula in pudendis, aut virulenta gonorrhœa, & alia symptomata his non dissimilia, in posteriori apparent bubones primum, dolores in universo corpore, ulcera maligna, depilatio, raucedo, & alia. His sic se habentibus, dicendum, vigente morbo quocumque semper imminere periculum infectionis, & idcirco nunquam, vigente morbo, teneri sanum ad redditionem debiti; morbo remisso, si fuerit levis, omnino teneri, si fuerit gravis, distinguendum, nam aut omnino morbi reliquæ omnes sunt extirpatæ, aut adhuc remanent: si sint extirpatæ, teneri, si aliquæ remaneant, non teneri, cum per has infici possit sanus.

Tituli Tertii finis.



PAV-

Sed quid dicendum, si alter Conjugum commercium haberet cum persona morbo Gallico infecta, an teneretur alter reddere debitum ob infectionis timorem? Ratio dubitandi est, quia notissimum habemus, & testantur auctores de morbo Gallico, evenire ut aliquis cum persona infecta coitum exerceat, neque tamen inficiatur, & hoc non obstante, cum alia persona non infecta hic idem congregiens eam inficiat; quod non ita infrequens est, & tam morbi hujus peculiare, ut in aliis etiam morbis contagiosis non eveniat: nam in peste idem fieri probat Septal. lib. 2. de pest. cap. 11. hoc fit, quia tunc hi habent rationem fomitis, suscipiunt enim in cute extrema seminaria morbi, absque eo quod ad interiora penetrent; sic ipsi sani permanentes, cum aliis congregientes eos inficiunt.

Dicendum ergo in hoc casu, quod si alter conjugum cum persona maxime infecta commercium habeat, timendum esset alteri conjugi de notabili periculo, & infectione, cujus respectu credo quod per Canonistas (quibus non hæc solum sed quæcumque ubi ubi dixi ad ipsos pertinentia, decidenda relinquere ei debitum denegare. Quod si ob adulterium id locum non haberet, nimirum quod liceat ob illud denegare debitum, liceret ex hoc capite, ut dixi.

Ultimo loco de contagioso morbo videndum, quando impedire possit professionem, & quando professionem jam factam reddat nullam, si, qui facit professionem, nihil de tali morbo enunciauerit; ita enim volunt Doctores, Ricc. collect. Decif. 530. In hoc casu dicendum videtur idem quod de superioribus; nempe inspiciendum esse, an morbus magnus sit, & incurabilis, vel contra: censendum enim, quod, si sit curabilis, aut non ita gravis, ut maxima secum afferat incommoda aut notabilem turpitudinem, neque impediatur professionem, neque jam factam reddere possit nullam.

PAVLI ZACCHIAE

Medici Romani

QVÆSTIONES  
MEDICO-LEGALES.

Liber Quartus,

CONTINENS

TITVLOS DVOS,

quorum

Primus est de Miraculis.  
Secundus de Virginitate & Stupro.

Lib. IV.

ij. R

Illustriss.